UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 10. Crucis signum in altum erectum. Primò: significat te per ipsam debere tuam assequi saluationem, sicut per ipsam Christus suum assecutus est regnum. Secundo: tetotum esse Christi. Tertiò: ipsam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis.

Nullum extitit lignum adeo à caſu ſecurum, nec malus nauis ita frangi neſcia, vt arbor hæc Crucis fortiſſima. Ab hoc diuino firmoque ſtipite, Chriſto in Cruce, ſuſpenduntur omnia belli inſtrumenta, vaſaque muſicorum omnigena, & maxima & minima. Duo nouimus eſſe genera Sanctorum: nonnulli ſunt pœnitentes, quos bene comparaueris agricolis qui dolore multo & labore terram arant excolunt, & rigant: alij ſunt innocentes, quos nulla vnquam peccati mortalis labes inquinauit; ſimiles hi ſunt muſicis, qui cum quiete, & conſolatione muſicam conficiunt bene temperatam, varijs virtutum exercitijs, horum & illorum inſtrumenta pendent à Chriſto ſuſpenſo in Cruce: quod lacrymæ & pœnitentiæ Magdalenæ ſint efficaces, & dolor D. Paulo continuus ſit vtilis, ſi Petri gemitus & planctus alicuius ſint meriti, ſi diſciplinæ & corporis caſtigationes Sanctorum valorem habeant: hæc omnia à Chriſto dependent in in Cruce ſuſpenſo. Et ſi in Patriarchis fides viua commendetur, ſi in Prophetis ſpes certa laudetur, ſi Apoſtoli charitate vigeant inflammata, ſi quis ſtupeat inuincibilem in Martyribus fortitudinem, ſi quem rapiat admiranda Doctorum ſapientia, ſi Virgines puritate ſplendeant: omnia dependent: & virtutem hauriunt à Chriſto in Cruce ſuſpenſo. Quod ſi Confeſſarius abſoluat, ſi Prædicator cor moueat auditoris, ſi Sacerdos conſecret, & aqua in Baptiſmo emundet, & oleum in Vnctione purificet, hæc omnia tribuas Chriſto in patibulo Crucis fixo. Si peccatores iuſtificentur, ſi iuſti gratiam obtineant, ſi beati gloriam, hæc cunctaChriſto aſcribēda ſunt in Cruce crucifixo. Idcirco dicit Iſaias: *Suſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris eius.*

VI. Pœnitentes & Innocentes à Cruce dependent.

Omnis itaque cœli gloria de Chriſto dependet Crucifixo: vnde ratio poſcebat, vt in cœlo perpetuus eſſet huius principij ac gratiarum omnium gloriæque conſpectus. In eum finem erunt Chriſtus & Crux viſus beatorum perpetuum gratumque obiectum, & vtrumque adorabunt, Chriſtum ſcilicet, vt vidit D. Ioan. quem in forma agni quaſi occiſi ſeniores adorabant, coronas ſuas coram eo deponentes, & gratias illi referentes infinitas. Crucem autem venerabuntur vt inſtrumentum quo tantum illis bonum communicauit, ſic illos audio Crucem adorantes & ſalutantes: *Salue Crux ſancta, ſalue mundi gloria, vitale lignum, vitam ferens omnium. Te adorandam, te Crucem viuificam, per te redempti, dulce Decus ſeculi, ſemper laudamus ſemper tibi canimus, per lignum ſerui, per te ſumus liberi.* Hoc eſt illud ſignum exaltatum: nam per illud fuit Chriſtus exaltatus, & per Chriſtum ad ſummam gloriam fuit ipſa Crux exaltata.

VII. Crucis encomium.

§. 10. *Crucis ſignum in altum erectum. Primò: ſignificat te per ipſam debere tuam aſſequi ſalutem, ſicut per ipſam Chriſtus ſuum aſſecutus eſt regnum. Secundò: te totum eſſe Chriſti. Tertiò: ipſam eſſe contra inimicos tuos forte propugnaculum.*

ERectus fuit ſerpens æneus in ſtipite. In *ſignum*, Et exaltata eſt Chriſti Crux. In *ſignum. Eleuabit ſignum in nationes.* Omnibus etenim ſeruit nationibus in quatuor, quæ ſignat D. Damaſcen. Primum eſt: ad noſtram ſalutem: nam ſi videndo Crucem intelligas illam fuiſſe per quam Chriſtus regnum obtinuit ſuamque exaltationem: tuam quoque non ſis aſſecuturus abſque cruce: quoniam parum ſapiret ſeruus ille, qui ſibi perſuaderet ſe poſſe altiora palatii conſcendere meliori ſcala quam Rex ſuus, & Dominus. His appoſitè ſic nobis loquitur. D. Petrus *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius*: & hoc conformiter illi quod Deus dixit omnibus: *Dicebat ad omnes* (ſic D. Marc.) *ſi quis vult poſt me venire &c. tollat Crucem.* Secundum: *eſt ſignum* (inquit D. Damaſ.) *quo ab alijs diſtinguitur, ſicut antiquitus circumciſio.* Signum vt ex eo te cognoſcas, & pateſacias, te non eſſe tui iuris ſed Chriſti, & quidquid in te eſt, ad Chriſtum pertinere. Iam doctrinam noſti Chriſtianam, eam igitur animo recolas. Quærimus: eſne Chriſtianus? Reſpondes: vtique, per Dei gratiam. Quid ſignificat Chriſtianum eſſe? hominem Chriſti. Quod eſt ſignum hominis Chriſtiani? S. Crux &c. quid per hoc ſignificas? Ego tibi hoc declarabo. Tibi domum comparas, quæ erat alterius, per emptionem illam reddis tuam tibique propriam, & que ex ea aufertur quidquid in ea prior poſſidebat dominus, & tantum in ea remanet quod tui Dominij & iuris eſt. Vt oſtendas hanc eſſe tibi propriam, ad portam ſiue frontiſpicium affigis arma tua ſeu inſignia familiæ omnibus manifeſta: q. d. Domus hæc & quidquid in illa eſt, eius eſt dominij cuius hæc ſunt inſignia. Homo domus erat à diabolo poſſeſſa:

Pa[illegible]

Poſſederunt nos inimici noſtri. Dixit Propheta, & D. Paulus addit: *Eramus natura filij iræ.* Venit Dei filius eamque emit: *Iam non eſtis veſtri,* inquit Apoſtolus. Cuius ergo ſumus? eius qui vos emit: *Empti eſtis pretio magno.* O quale pretium, quale mundus numquam vidit, quale numquam traditum fuit: ſanguis filij Dei: *Pretioſo ſanguine Agni immaculati:* teſtatur ſic D. Petrus. Quinimo hoc perpetuo Sancti in terra profitentur & in cœlo, gratias illas crebro repetentes: *Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo.* *Redimere* eſt *Reemere*, rurſum emere quod ſuum erat. Eramus Dei per creationem, nosipſos diabolo tradidimus: recuperauit nos ſibi Chriſtus emitque ſanguinis ſui digniſſimo pretio. Vt autem hoc fiat manifeſtum, neceſſarium eſt frontiſpicio huius Domini arma præfigere: quænam ſunt hæc? Crux: *Signum filij hominis.* Sit in fronte, ore, pectore totoque tuo corpore, vt omnibus innoteſcat, te hominem eſſe Chriſti, eſſe Chriſtianum, hoc eſt, quòd iam in domo tua nihil ſit eius

II. Domini qui illam poſſederat diaboli, videlicet ſed omne quodcumque ibi eſt ad illum ſpectat, qui emit illam, ſibique comparauit. Eo fine Crux ſtatuitur in parte capitis principali, nempe in fronte, vt ſignificetur quòd omne quod in illo eſt capite, ad Chriſtum pertineat eiuſque ſit poſſeſſio. Omnes cogitationes curæ, diſcurſus, memoria Chriſtiani, eſſe debent de Chriſto. Igitur ſit in ore: nam, vt ipſa veritas Chriſtus ait, cordis eſt porta; vt nouerimus nihil inde egredi debere, quod honori Chriſti non famuletur. Inde tranſeat ad pectus, quo declaret omnes agendi modos qui inde ſcaturiunt, eſſe de Chriſto; atque in rei veritate quo manifeſtes quòd totus ſis Chriſti, cum in te non ſint niſi cogitationes, verba & opera Chriſti. Senta rei alicui cuiuſpiam præfigi indicat totam eſſe illius. Videbis ad hunc portum multos adferri ſaccos, multaſque lagenas, & ſingulæ ſuum habent affixum ſignum. Hæc illius eſt mercatoris, illa alterius; nam hoc ſignificat, quidquid in his continetur, illius eſſe cuius eſt ſignum.

Ex his conclude quàm ſit rationi difforme, quod in homine Chriſtiano inueniatur aliquid quod ſit iuris diabolici, vel Gentilis, cum ſigno Chriſti armiſque ſit inſignitus. Quod ſi ita fuerit, iuſta ex cauſa poterit contra nos expoſtulare: meliori iure quàm de illis, de quibus apud Ezechielem querelas deponebat grauiſſimas. Apprehendit Deus Prophetam atque in ſpiritu tranſmiſit illum in Hieruſalem, Sanctuarium illi demonſtrat incipitque de illo conqueri: Domine, ſic illi Videns, quare? nonnè hoc templum tuo nomini conſecratum? Vtique: verumtamen perfodit parietem atque intro reperit bufones, lacertos, ſcorpiones, & inſecta venenata, quibus ſeniores Iſraël adolebant incenſum. Ingredere (inquit) aliud cubiculum: fodit Propheta, & ingreditur, inuenit autem quaſdam mulieres libidinoſas ploratum edentes & eiulatum; ſi quæras cauſam; mortem deflent Adonidis Veneris Amaſij. Progredere vlterius ait Deus: perfodit & inuenit in Sanctuario iuuenes nonnullos tantâ ſacrilegos impudentia, vt dorſum verterent tabernaculo, illudque ſannis exciperent non tolerandis. O Propheta: an hæc tibi videntur poſſe tolerari? Templum meo nomini conſecratum, armiſque meis inſignitum ita violari? Hoc tibi ſæpe contingit. Sanctuarium es Dei: *Templum* 1. Cor.
Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos; ita D. Paul. loqui- 3.17.
tur de domo Dei, & ait: *Quæ domus ſumus nos.* Inſignitam illam video armis Dei, Cruce ſcilicet: ſed tria hæc ingrediamur cubicula. In caput: Heu cogitationes! *Omnes cogitationes eorum in malum.* Quis verbis explicet vanitates, laſciuias, immunditias, fraudes quæ hoc in capite agitantur? An ſerpens ſit aliquis qui hoc non ingrediatur? Superbia, ambitio, libido, dolus, quibus incenſum tuarum adoles ſollicitudinum. Aliud deinde cubiculum oris ingredere: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant.* Iuramenta contra Deum, detractiones infames contra abſentes, contumeliæ contra præſentes,
vt nihil prætereas illibatum. Si nunc cordis in- IV.
grediaris cubiculum operum tuorum originem; Crux
quam non ſectaris iniquitatem? quale non com- nobis
mittis peccatum? Eia homo Chriſti, hoc in fron- eſt in-
te ſignum affige, hoc Dauidis proponendo: *Co-* figen-
gitabo pro peccato meo: & implens illud quod Sa- da.
lomon in iuſtis extollit: *Cogitatio eorum apud Al-* Pſ. 37.
tiſſimum: & hoc ex eodem Pſalmiſta: *Cogitatio* 19.
hominis confitebitur tibi. Statue in ore ſignum & Sap. 5.
dicito: Quidquid hinc egredietur Dei laudes & 16.
magnalia reſonabit. Statue ſignum in corde, & Pſ. 75.
dicito: *Tibi dixit cor meum: exquiſiuit te facies* 11.
mea. Cor meum & caro mea exultauerunt in Pſ. 26.
Deum viuum; & abſolute ſtatuas; *In me ſunt* 8.
Deus vota tua. Non habeo, nec habebo Domi- Pſ. 83.
ne, quidquam, quod tibi non placeat. 3.

Tertium: quòd ſignum ſit aduerſus inimicos noſtros defenſiuum. *Hæc* (ſic lege apud D. Damaſc.) *Clypeus atque armatura, & trophæum eſt, aduerſus diabolum. Crux* (ſic audio D. Chryſoſt.) D. Chrys.
Scutum perpetuum aduerſus dæmones triumphus; Cxxx.
deuictio diaboli. Solebat D. Anton. vt refert D. Atha-

V. Diabolus Crucem timet.

Athanaſ. vitæ illius conſcriptor, aſſerere diabolum ita crucem expaueſcere, vt per illam, contra tam ferocem inimicum ſecuram, tutamq́ue habeamus defenſionem. Origenis ſententiam vt pulchram non libenter omiſero: *Quid timent dæmones? Quid tremunt? ſine dubio crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt, in qua exuti ſunt principatus eorum & poteſtates. Timor ergo & tremor cadunt ſuper eos, cum crucis ſignum in n bis viderint fideliter fixum*

Orig. Ho. 6. in Exod.

Cape ſimilitudinem: canem inter duas apprehendiſti portas, cui baculo oſſa confregiſti: quàm primum alius videt te baculum aſſumere, Euro fugit ocyus: recordatur etenim eius quem colliſum in terra proſtraſti.

VI. Similitudo.

Chriſtus canem diabolum apprehendit in monte Caluariæ, & violento crucis baculo illi oſſa comminuit, tantis valet illa viribus, ex quo verbere ſic confractus & colliſus ingemuit, vt quo momento quis baculum illum arripit fugam ineat velociſſimam, totaque illi terra modica videatur, nec eo præſumit accedere, vbi hæc crucis contemplatur inſignia.

VII. Exempla.

Patri fratriq́ue meo D. Vincentio Ferrarienſi puellam adduxerunt lymphaticam ſeu arreptitiam: cum autem à diabolo vir Dei quæreret quâ ratione puellam intraſſet: reſpondit: quia illam vidi inermem & nudam; cum enim in quodam loco terribilis excitaretur terræ motus, vbi plurima conuenerat hominum multitudo, omnes ſe crucis ſigno, hac ſolâ puella excepta munierunt. His conuenienter innumeræ referuntur hiſtoriæ à Sanctis conſcriptæ, ſed mihi ſatis ſit illa, quam tantum, & meritò quidem extollit D. Greg. Naz. de Iuliano Apoſtata, erat hic Chriſti eiuſque crucis hoſtis infenſiſſimus, & perſecutor acerbiſſimus: omnes etenim Imperij ſui vires neruoſq́ue, eius delendæ memoriæ tyrannus impendit. Erat diabolo confœderatus: die quodam tanto à dæmonibus ſtrore comprehenditur, vt illi fauces occluderent. Illico ſignum hoc apprehendit, crucem ſibi efformat, voc feratur: *Per ſignum crucis.* Et ecce tota illa turba diabolica in auras euaneſcit, eumq́ue reliquit incolumem. O vires ſupra omnes inimici vires ſuperiores: ſi tanta polleat crux potentia, vt illi, qui eandem hoſtis perſequitur, execratur, & ei minime credit, tanto ſuccurrat ſubſidio, tal q; ab hoſtibus triumpho liberet: quid non operabitur in illo qui illam adorat, illi credit, atque ex toto cordis affectu eam ſibi infigit? hinc habeo conſilium à D. Hieron. datum Demetriadi. *Claudas cubiculum pectoris, & crebro ſignaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat, ſed primogenita quæ apud Ægyptios percunt, in tua mente ſeruentur.*

Orat. cont. Iulian.

D. Hier. Ep. 18. ad Demet. c. 8. To. 1.

Vbi D. Hieron. indicat quod clarius expreſſit D. Damaſ. nempe ſignum, quod Iſraëlitæ ex Dei præcepto formarunt, ne percutiens Angelus domus [illegible] grederetur, fuiſſe ſignum crucis ex ſanguine Agni efformatum.

Hoc eſt ſignum illud, quo tuta redditur ſponſa cœleſtis, quam diuinus ille ſponſus miris effert laudibus, prædicatq́ue hortum herbis cùm odoriferis tum ſalutiferis amœniſſimum: & quis eius cuſtos? *Hortus concluſus ſons ſignatus*, ſigillo crucis. Hoc ſignum illud eſt quod Angelus frontibus eorum imprimit, quos ſeruare vult incolumes, ne à gladio cædente interficiantur: vt refert Propheta Ezechiel. Hinc velim addiſcas, ne vnquam ad quietem te componas nocturnam, niſi te prius hoc diuino crucis ſigno munieris, quatenus te Deus eius virtute à Principibus eripiat tenebrarum, qui noctibus potiſſimum diſcurrunt quærentes quem deuorent hoc ſigno non præmunitum; etenim in huius ſolius virtute liberatus eſt Iudæus eiuſdem tamen mortalis inimicus: nam de nocte per deſerta proficiſcens [illegible] [illegible] quoddam ingreſſus eſt, quò milleni conuenerunt diaboli, quem conſpicientes attingere non præſumpſerunt: quia ſe ſalutifero crucis ſigno munierat, licet in eum non crederet. Hoc fuſiùs, enarrat D. Gregor. Appoſitè propoſito noſtro hos laureatus Poeta Chriſtianus D. Prudentius verſus compoſuit.

Fac cum vacante ſomno
Caſtum petis cubile
Frontem locumq́ue cordis
Crucis figura ſignet,
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ,
Tali dicata ſigno.

Ne de ſtrato aſſurgas niſi formato ſuper te hoc Crucis ſigno: ne de domo excedas illo non præſignatus; quatenus eius virtute Deus te à periculis ſaluum eripiat, quæ tibi diurnæ parere poſſunt occaſiones. Iter non arripias niſi Crucem præmiſeris, vires etenim tibi miniſtrabit ad victoriam, & mente tua hoc ſedulo [illegible] quod Deus Imperatori Conſtantino ſcripſit, vt referunt Euſebius & D. Cyrillus Hieroſolymitanus; etenim die medio prandio abſoluto [illegible] ipſos clariſſimos ſolis radios Crux illi apparuit in aëre ſplendidiſſima; tanteq́ue illis illuſtris vt tenebras illis offunderet, hac epigraphe; *In hoc ſigno vinces.* Hoc etenim fuit quod Imperator poſtmodum aſſumpſit ſibi in titulum. Si pœnitentiæ lamenta fletuſq́ue ſuſcipias, *In hoc ſigno vinces.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vinces. Si proceſſum intendas, ſi fauſtam negotiorum tuorum directionem exoptes &c. *In hoc ſigno vinces.*

§. II. *Crux perpetuus eſt Prædicator nobis indicans quæ facienda conueniant. Nobis etiam exponit quid ſit peccatum, qualis ſit amor Dei: nec non docet nos patientiam, obedientiam, pietatem amoremque inimicorum.*

QVartum adducimus; ſignum eſt quod tibi eius reſtitcat memoriam quod agendum eſt, atque velut perpetuus Prædicator tibi quod expediat ſignificat. Conſulit omnibus prudentiſſimè D. Chryſoſtom. vt ſecum ſi fieri poſſit, ſemper deferant crucis inſigne, *Signum Crucis.* Si non, ſaltem ex alia materia; tam propter prædictos effectus, quàm vt tecum habeas Prædicatorem, qui muto ſilentio diſtinctiùs loquitur quàm omnes eloquentiſſimi totius orbis loquentes oratores. Crux hæc tibi declarabit, ſi attentas præbueris aures, quid ſit peccatum; quandoquidem ad eius remedium neceſſarium fuerit in ea Deum occumbere, quanta ſit Chriſti gratia, cum vt eam tibi refunderet, requireretur, vt ipſe ſuum in illa profunderet ſanguinem. Ipſa tibi demonſtrabit qualis ſit amor Dei, qui vitam pro ſuis expoſuit inimicis. Ipſa te docebit patientiam, obedientiam, pietatem, dilectionem inimicorum; quâ de cauſa, vt aliàs diximus vocatur à D. Chryſoſtomo; *Crux iuſtorum conſiliarius.* Quàm ſapienter egit Princeps ille Syriæ Naaman; cum enim per Eliſeum à lepra ſua emundatus eſſet, abire recuſauit, niſi prius ſecum duorum onus burdonum de tellure conferret, quod ſibi Propheta conceſſit, dum ſuper hoc conſilium ab eo expoſcit, quatenus reverſus in Syriam ab idolis poſt hac non falleretur, nec eum Regis furor auerteret, vt illi demonſtraret, terram illam quam ſecum deferebat, pedibus calcatam Eliſei, verum futurum illi prædicatorem; ſicut in noſtris Tractatibus expoſuimus. Inſignis profectò Prædicator, quo Naaman in ſeruitio fideque Dei Iſraël conſtans perſeueraret, erat tellus illa quam pedibus calcabat Eliſeus, & per quam animæ ſuæ ſalutem eſt aſſecutus. Tecum defer terram illam, quam tecum calcauit Eliſeus Chriſtus Dominus, S. Crucem intelligo. Hæc illa terra eſt, quæ illum ſuſtinuit firmumque roborauit; hæc illi lectulus in quo mortem oppetiit; illum tecum deferto; vtinam illum auſcultares, qualiter tibi prædicaret, quando diabolus te ad inhoneſta pellicit, vt in mentem tibi veniat, quàm carò Deo pia ſteterit emundatio; quandoquidem vt illam obtineres ſanguinem ſuum fuderit in lauacrum; *Vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam:* quam vt venuſtam pulchramque redderet aquam & ſanguinem cordis ſui tradere non dubitauit. Quàm efficaciter tibi proponeret, vt pauperi à te eleemoſynam flagitanti eam largireris cum ea quam tibi in Cruce præſtitit Deus, fuerit vitæ ſuæ & ſanguinis effuſiſſima, manus retinens perforatas. Quam concinnas tibi rationes proponeret, dum ab ira vehementer nimis incandeſcis: vt patientiam conſideres, quam in illa Dei filius obmuteſcens oſtendit; vt nec in vno quidem verbo tot eum potuerint calumniæ & iniuriæ perturbare. Idola lignea muta erant: *Os habent & non loquentur.* Crux autem lignea ita diuina pollet eloquentia, vt in ipſa tibi ſanguis loquatur à Chriſto profuſus: *Melius loquentem quàm Abel.* Veteres illi Idololatræ ligna conſulebant, erant etenim eorum idola ex ligno fabricata, nec eos poterant inſtruere. Accede, perconctare, & conſule Crucem &c.

Ephes. 5.27.

Pſ. 113. 5.

Hebr. 12.24.

His tandem finem imponamus ſacra illa Crucis Litaniâ quam D. Chryſoſtom. compoſuit, in quâ ex epithetis, quibus illam deſcribit & honorat, eius poteris virtutem agnoſcere: *Et ſi noſſe deſideras chariſſime, virtutem Crucis, & quanta poſſim ad eius laudem dicere, audi Crux ſpes Chriſtianorum. Crux reſurrectio mortuorum. Crux cæcorum dux. Crux deſperatorum via. Crux claudorum baculus. Crux conſolatio pauperum. Crux refrenatio diuitum. Crux deſtructio ſuperborum. Crux male viuentium pœna. Crux aduerſus dæmones triumphus. Crux deuictio diaboli. Crux adoleſcentum pedagogus; Crux ſuſtentatio inopum. Crux ſpes deſperatorum. Crux nauigantium gubernator. Crux periclitantium portus. Crux obſeſſorum murus. Crux pater orphanorum. Crux defenſor viduarum. Crux iuſtorum conſiliarius. Crux tribulatorum requies. Crux paruulorum cuſtos. Crux virorum caput. Crux ſenum finis. Crux lumen in tenebris ſedentium. Crux Regum magnificentia. Crux ſcutum perpetuum. Crux inſenſatorum ſapientia. Crux libertas ſeruorum. Crux Imperatorum Philoſophia. Crux lex impiorum. Crux Prophetarum præconatio. Crux annuntiatio Apoſtolorum. Crux martyrum glorіatio. Crux monachorum abſtinentia. Crux Virginum caſtitas. Crux gaudium Sacerdotum. Crux Eccleſiæ fundamentum.*

10. III. Litaniæ S. Crucis. D. Chryſ. Ho. de Cruce. Tom. 3.